



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Episcopi Et Potestatis Castellanensis ad Papam.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20006**

cum pertinentiis suis. Techsachfan, cum pertinentiis suis. In Iseoganan, Cell Mœsenoch Cellbrogan, Cellmathnain, Midifel, Achadmeleirig, Cellfinchill, cum pertinentiis suis. Techmolaggi cum pertinentiis suis, Domnachior, Cellfaeleah, Ciseicerum, cum pertinentiis suis. Inisduni cum pertinentiis suis. Magalaid, Glennberchin, Cellarchadangli, Achaddun, cum pertinentiis suis. Cellmugana, Cluamechi, Cellcillin, Cellcohi, cum suis pertinentiis. Scol cum suis pertinentiis. Celloran, Cellmolaggi, Cellmua, Durrus cum pertinentiis suis. Inscuingi cum suis pertinentiis. Cellmochomoc, Cellehdach, Cellmana, Cellcharthigern, Cellmacceogam, Dramdalach, Fanlobais, Magatia, Dissaert, Saergussa, Cennech, Cluannached, Dunusci, Cennmugi, Magalaid, Disert mort cum pertinentiis suis. Disertanaeda cum pertinentiis suis. Rathen cum pertinentiis suis. Claennabur cum pertinentiis suis, cum Cennmugi, & aliis pertinentiis suis, Athbruanni, Ardmachfaelan, Tulachrata, Cellia, Cluanpruches, Corcachbet & Archadfadda. Prohibemus insuper ne interdictos &c. Præterea libertates &c. Decernimus ergo &c. Salva in omnibus apost. sedis auctoritate, & Casfelen. Archiepiscopi debita reverentia. Si qua igitur &c. Datum Laterani per manum Rainaldi Domini Papæ Notarij, Cancellarij vicem agentis, II. Idus Aprilis, Indictione secunda, incarnationis dominicæ anno M CXCIX. Pontificatus verò Domini Innocentij Papæ III. anno II.

*EPISCOPI ET POTESTATIS  
Castellanensis ad Papam.*

**P**Io Patri & Domino Innocentio divina gratia sanctæ Rom. Ecclesiæ Summo Pontifici R. Castell. Ecclesiæ humilis servus, & Bonus Comes civitatis Castell. Potestas, cum ejusdem terræ majoribus & minoribus, debiti obsequij devotissimum famulatum. Cùm pristinâ memoriâ terra nostra, immo vestra, ad patrimonium S. Rom. Ecclesiæ communi ac privato jure spectare noscatur, & nuper sanctitatis vestræ sollicitâ curâ antiqua statuta inde sint innovata, dignum duximus ad præsens debitum canonem, scilicet per unamquamque domum denarium, colligere, & in signum nostræ fidei per præsentium latorem nobilem

virum ad pedes vestræ sanctitatis dirigere: cujus facti humilis devotio nos corroborat, & in quibus indigemus à sanctitate vestra protectionem quarere confortat. Aretini cives, nobis aliis proximiores, Castell. episcopatus fines invadere conantur; & cum Marchionibus confœderati, qui contra præceptum vestrum de destructione montis sanctæ Mariæ acriter doluerunt, aliud castrum Castell. Ecclesiæ expugnare, & memoratum montem post Pascha reficere ordinaverunt. Subveniat ergo famulis suis vestræ sanctitatis benignitas, & jandictos Aretinos ab hujusmodi vexationibus imperiosè compescat; & adjacentes vicinos, scilicet Perusinos, & Massanos; ut nobis subveniant, vestræ paternitatis providentia, si placet, inducat.

*EBREDVNEN. ARCHIEPISC.*

**S**icut nobis tua fraternitas suis literis intimavit, cùm bonæ memoriæ C. Papa prædecessor noster tibi & ven. fratribus nostris Dignen. & Senecen. Episcopis dedisset firmiter in mandatis ut pro enormibus quæ sibi de Vencien. Episcopo fuerant nuntiata, ipsum, si rei veritas taliter se haberet, ab officio beneficiisque suspensum, ad sedem apostolicam mitteretis, vos diligenter quæ vobis injuncta fuerant exequentes, cùm illis & deterioribus præfatum Episcopum invenieritis maculatum, præcepistis eidem ut suspensus apostolico se conspectui præsentaret: qui neque ad Ecclesiâ Romanam accessit, neque propter suspensionem episcopatum desit ordinare. Nolentes autem ut quæ, de mandato maxime apostolicæ sedis, à venerabilibus fratribus nostris rationabiliter disponuntur, alicujus debeant temeritate convelli, fraternitati tuæ per apostolica scripta districtè præcipiendo mandamus quatenus præfatum Episcopum, qui suspensionis sententiam in se latam observare contempsit, excommunicatum publicè nunties, & facias ab omnibus arctiùs evitari, donec ad præsentiam nostram cum tuarum testimonio literarum accedat redditurus, si poterit, de suis actionibus rationem, cui, volente Domino, in nostra & fratrum nostrorum præsentia sua justitia respondebit. Datum Laterani VI. Idus Aprilis.

*Epist. 34.  
Vt Venciensem  
Episcopum publicè  
excommunicatum  
denuntiet.*

